EPISTOLA EXHORTATORIA AD PACEM,

Miſsa ab Illustrissimo Principe, Domino Protectore Angliæ, ac cæteris Regiæ Maiestatis Consiliarijs, ad Nobilitatem ac plebem, uniuersumq; populum Regni Scotiæ.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

LONDINI, ANNO M. D. XLVIII.

Cum priuilegio Regio.

EDWARDVS DEI GRATIA DVX SOMERSETI, COMES HERTFORDIAE. VICE-comes Bewchamp. Dominus Seymour: Auunculus Nobiliſſimi & Clariſſimi PRINCIPIS EDWARDI VI, Dei gratia Angliæ, Franciæ et Hiberniæ Regis, Fidei defenſoris, et in terris ſub Chriſto, Eccleſiæ Anglicanæ et Hibernicæ Supremi capitis, Gubernator Eiuſdem Illuſtriſſimæ ac Regiæ perſonæ, & omniũ Regnorum, Dominiorũ & ſubditorum, Protector: & ad bella gerẽda, omniũ Eiuſdem exercituum, tam per mare quam per terram, præcipuus Ductor, & Locum tenens generalis. Theſaurarius, & Comes Mariſcallus Angliæ. Gubernator & Capitaneus Inſularum de Gerneſey & Ierſey. Et prænobilis Ordinis Garterij, Eques: Et cæteri, qui ſunt prædicto Potentiſſ. Regi à Conſilijs:

Nobilibus atq; Conſiliarijs, Populo ac Plæbi Scotiæ, Salutem & Pacem.

CONſiderãtibus nobis & modum formamq; rerũ preſentium preſſiùs intuentibus, dum reputamus aĩo, quo in ſtatu noſtra, ueſtraq; Reſpublica cõſiſtat, ò uiri Scoti, multum ſubit mirari, quod tam pernicioſum ac

fatale malum sit, quod uos ita disiungit animo, tanq; cęcos, et immemores facit uestrorũ commodorum, uobis ut ipsi uolentes ac scientes extremas calamitates et miserias conciliare atq; accumulare usq; non desistatis: atq; id tanta pertinacia: quas nos, quos, uel inuitos, hostes habere uultis, quantum quidem in nobis est, arcere à uobis, & in perpetuũ ac funditus tollere studeamus. Quanquam enim è rei natura magis esset et ex necessitatis ordine, ut uos moderatas a nobis pacis leges petatis, quos Deus optimus maximus pro nostro in vos pio beneuoloq; aĩo, & iusticia causæ, & euentu belli, superiores hactenus fecit, q; ut nos, qui in bello uictores, in agris uestris iam magna ex parte domini simus, pacem a uobis atq; amicitiam rogaremus: tamen quò pius noster et fraternus in uos amor nõ desisteret, quibus quidem queat modis excitare, et commouere, et ad commodum atq; utilitatem uestram uos prouocare, ut Pater filium, aut frater maior natu, fratrem minorem: aut ut bonus & amans medicus, ægrum imperitũ et suspiciosum, ad rem, ad opem, et ad salutem suã recuperandam inuitaret: ita nos non piget hortari atq; admonere uos iterum atq; iterum, ut respiciatis

in uestrę

in uestrę Reipublicę ſtatum, ut uestrũ Regnum illis miſeriis & calamitatibus quibus premitur, q̃m primũ liberetis, malitisq; potius fratres nos experiri, q̃m hoſtes: populares & conterraneos, quam uictores & dominos. Quòd ſi Gubernator ueſter, belliq; ueſtri Duces hanc noſtram exhortationem a uobis arcebunt, quemadmodum quidem ante ſuppreſſerunt ſimile a nobis ante proximũ prælium miſſum Edictum, ſuę priuatę utilitatis et ambitionis cauſâ, qui nihil penſi habent quid uobis agatur, quemadmodũ Regnũ ſit afflictũ, dummodo ipſi agant bene et regere queant: et uos fictis commentis et falſis terriculamentis pergant deludere: tamen hoc ſit indicij teſtimonijq; loco, et tanq; uadimonium coram Deo et Chriſto, Chriſtianisq; omnibus, q̃ nos Chriſti Euangelium profitentes ſecundum illius ſanctiſſimi præcepti doctrinam, non ceſſamus uocare atq; adeò „puocare uos ab effuſione ueſtri ſanguinis, ac depopulatione agri Scotici, à perpetuis inimicitijs et æternis odijs, ab exterminatione ueſtrę nationis, à ſeruitute exterorũ principum ac militũ, ad libertatem, ad amicitiã, ad æqualitatem oĩs iuris unâ nobiſcũ, ad id quod ueſtri Scriptores, graues ac literati hoĩes, ut

aliquando contingeret ſemper optauerunt. Qui anteactorum temporum et rerum geſtarũ hiſtorias uoluerit, et in illis adnotarit bella tam multa, tamq; diuturna et periculoſa iter Anglos et Scotos geſta, incurſiones ac depopulationes utrinq; factas, Regem unum Anglię quinquies in intimas ueſtri regni partes penetraſſe, et toties ueſtrum Regem pepuliſſe Regno, et ad deſerta ac paludes & inſulas exegiſſe, alioſq; Scotorum Reges dum bella tentarent aduerſus noſtrates, in acie occiſos, alios captiuos in Angliam ductos, alios poſt aduerſam pugnã animi ægritudine ac mœrore, cõtabefactos et extinctos legerit. Idem ſi intelligat ueſtram gentem in uniuerſo terrarũ orbe ſolam, eadem nobiſcum uti lingua. Et ut in Inſula una nati ſumus, ſic nationem nullam nobis forma, moribus, ingenio, lingua tam ſimilem, quam nos inter nos ſimus: an non rem indignam et impiam minimeq; Chriſtianam eſſe iudicabit, q̃ tam infinita tamq; infeſta inter nos bella geramus, qui a cæteris nationibus prorſus diſiuncti, coniuncti inuicem ſimus quaſi fratres, ſoboles una unius Inſulę, et Britannię maioris, cõmunis noſtrę matris, eadem ſimiliſq; propago, tanquam germani inter nos et uterini? Qui ſi

prorſus

prorsus hospes esset, ignarus locorũ, aut nostrę Regionis, & tantummodo inaudierit aliquid de nobis (aut ut ante memoratum est) legerit in historijs de utraq; gente, quid tam utile tamq; necessarium utriq; nostrûm dici, aut fingi posse existimabit, quàm Regnum unũ imperio fieri, quod unum est lingua, nec diuidi Regnis, quod Regione ac loco, Natura non separauit? Et quia nulla ratione alia fieri queat, ut familię dominatrices duę, separatęq; imperijs gentes coëant coalescantq; in unum, nisi per nuptias, quę sanguinem, sobolem, propaginemq; faciũt unã, ex duabus diuersisq; gentib⁹, et ius ambarũ, sanctum et inuiolabile tribuit uni, absq; detrimẽto, iniuria, damno, interitu, aut abolitione alterius. Si Deus Opt. Max. uobis annuerit, ut quicquid uobis Reipublicęq; uestrę optare liberet, id euestigio cõtingere, quid optaretis aliud, quam quod nũc non casu, ac temeritate etuenit, sed Deus Opt. Max. per suam infinitam clementiam et inscrutabilem Prouidentiam, uestri misertus, et pro uobis sollicitus, uobis elargitus est? Quod ne existimaretis Fortunę beneficio casuq; contigisse, non Prouidentia propositoq; Diuino, quàm erant omnia aduersa, in hũc euentum insperataq;

et in-

et incredibilia, quanꝯ ſubitò contra ſunt immutata? vt ſummus Dei in uos amor, & inenarrabilis potentia patefieret, et per clariſſima indicia oſtenderetur. Veſter Rex, qui proximè interiit nobilis eximiuſq; Princeps, et ętate iuuenis (quē ut noſtis, poſt fractam contra promiſſum et honorem ſuum fidem, et aduerſam deinceps pugnam, iuſto Dei iudicio ſecutam, Deus aut per mœrorem et animi ægritudinem, aut per aliam cauſam & modum, quemadmodum quidem inſcrutabili ſuę uoluntati placuit, è medio ſuſtulit et extinxit) tres habuit liberos: An nō qui mares erant, quiq; impedimēto poſſent eſſe fœlici huic coalitioni utriuſq; nationis, Deus Optimus Max. ut oſtenderet uelle ſe tam cruento, tamq; diuturno bello tandem imponi finem, iungiq; cōnubijs & amore diſſidentes odijs tam longo tempore nationes, duos pulcherrimos infantes cū eſſent ſeiuncti locis, & in duabus diuerſis arcibus ſeruati, ambos vno quaſi tempore, et intra 24. horarum ſpaciū, è medio ſuſtulit, et morte affecit, vnica tantummodo vobis è Regia ſtirpe relicta filia, ueſtra Principe? Quid cum famatiſſimæ memorię potentiſſimuſq; nuper Princeps Hēricus Octauus Rex noſter, in cęteris ſuis

nuptijs

nuptijs non fortunatissimus: nostrum tamen qui nunc regnat tantę spei atq; expectationis Principem sustulit, ex optima legitimaq; coniuge sua Domina Iana, quam tum demum duxit, quando nulla supererat alia, quę uel uxoris nomen usurparet: sic amauit, vt neq; toto tempore quo uixerat, neq; aliquando pòst, ulla sinistra suspicio, uel de illo matrimonio, uel de illa optima excellẽtissimaq; fœmina, ne inter maleuolos quidem unquam exorta est: Et eundem unicũ et solum reliquerit, qui post fata sua in Regna, uirtutesq; atq; opes paternas succederet. Si nil fuisset actũ aliud, quid prudens quisquam, aut Christianus homo, qui diuina prouidentia et nõ cęca temerariaq; fortuna gubernari res humanas existimet, definire, iudicaréue queat aliud, quàm voluisse Deum, vt ista duo Regna toties odijs exagitata mutuis, finem inuenirent malorum, copulataq; matrimonio, sancto sacramẽto, sanctã et perpetuam pacem inter se firmarent. Et calamitatum, ac miseriarum pertæsa, clementissimo ac diuino dono, uiam inuenirent qua bonis uicissim fruerentur, quæ ex amore amicitiaq; et mutua pace nascuntur? Quod si quis uestrum de hoc dubitet, aut si quis alius dubitare uelit,

non facilè diuinare quis poteſt, quemadmodum apertiùs ac planiùs ſuam uobis mentẽ, ac ſenſũ Deus indicaret, niſi fortè miracula requiratis. Et tamen ſi quis omnes coniecturas contrarias percurrere uelit, et intueri naturas, ætates, ingeniáq; utriuſq; Regis, prolem iam utriq; ſuſceptam, dubiumq; euentum, ne uterq; marem relinqueret: aut ambo fœminas, hęredes: aut ſi uel maximè mas alteri, fœminaq; alteri ſuccederent imperio, tamen ne non ſimilis eſſent, aut paris ætatis, ſed altera proles tanto grandior, ut diſpar eſſet coniugium, nec ferret moras: cæteraq; ſi quis eiuſmodi peruolutaret animo, quas Rhetores uocãt Circumſtantias, quas tam Angliæ, quàm Scotiæ Regnũ poſſet ſuppeditare, quæ tam commodè, tamq; aptè, iam octingentis ampliùs annis non contigerunt: mirabilem neceſſe eſt eſſe iudicet euentũ, et certè miraculum: Sed demus non eſſe miraculum, cum Deus hodie nõ det reſponſa per oracula, quomodo apud Iudęos olim. Et uaticinia quæ nũc dierum ſunt, aut planè ſunt incerta, aut certè non perſpicua: quid demum certius aut exploratius habere de Diuina volũtate poſſumus, quã quod ex his ante narratis queat colligi? Sed ſi Deus ipſe loque

retur,

retur, quid loqueretur aliud, quam quod in his loquitur fatóne factis dicemus rebus, an temere contingentibus? Si pœnas pergatis porrò dare ueſtrę contumacię: ſi Regnum, Regio, poſſeſſiones ſq; ueſtræ populationibus deinceps grauioribus affligãtur, dicét ne uobis iure Deus, et de ſublimi reſpondebit uociferantibus? Ego ex infinita mea clementia miſericordiaq;, et amore erga uos et ueſtram gentem, uerũ legitimumq; et indubitatũ hæredem ac filium uni ueſtrorũ Regum dedi, et ueram atq; indubitatam hæredem ac filiam alteri, ut per meas ſacratas leges iungerẽtur matrimonio, et iure naturæ ac gentium, unionem nationum, pacem, concordiamq; æternam parerent per vniuerſam Britãniæ inſulam: uos noluiſtis: vos oblatas conditiones recuſaſtis: præpoſuiſtis diſſentionem unitati, diſcordiam concordiæ, bellum paci, odium amori et charitati. Si igitur afflicti & perculſi doleatis, quem incuſabitis, niſi vos ipſos? cui rei tantas calamitates imputabitis, niſi veſtrę optioni? Sed quoniam nonnulli eorum, qui hanc diuinam pacem et unionem nationum (quantum quidem in illis eſt) hactenus impedierunt: negare autem nõ poſſunt, eandem et utilem vtriq; Regno, et quò

fieret à Dei ſumma prouidentia maximam et mirabilem hoc tempore occaſionẽ dari: id ſolũ pertinaciæ ſuæ prętexunt, quòd nos non æqualitatem, aut nuptias, ſed ſeruitutem ſubiugationemq; Scoticæ nationis quęramus: quòd amici nolumus eſſe, ſed uictores: nõ pares, ſed domini.

Quanquam edictum noſtrũ iam ante proximum prælium ad vos miſſum, abunde declarat id eſſe uaniſsimum, tamen etiam hoc tempore Deo teſte et Chriſto Chriſtianisq; omnibus proteſtamur, denunciamuſq; uobis planiſsimè, ſereniſs. Regem noſtrũ Dominum ac Principem id ſemper habuiſſe in animo, noſtroq; hortatu ac ſuaſu, et nobis authoribus decreuiſſe, non uos victos et perculſos premere, ſed ſi vlla ratione id fieri queat, in amicitia potius et cura tenere, non vi veſtram gentem vincere, ſed per amorẽ conciliare: non vos ſpoliare et trucidare, ſed ſeruare potiùs ac defendere: non ſeparare ac ſeiungere veſtram à noſtra nationem, ſed cõunire et connectere connubijs ac nuptijs, à ſummis ad infimos vtramq; gentem: & in una inſula, unum Regnũ facere, mutuo amore, charitate, et beneuolentia, coniunctiſsimum. Quid ſi vos recuſatis, et oblatam tam fęlicem fortunam per con-

tumaciã

tumaciam reſpuitis, et nos ad uictoriam, cæde ac bello parandam adigitis, quis effuſi ſanguinis reus eſt? Quis cauſam præbet bello? Qui prælia faciunt? Quibus incendia, depopulationes, cædes, deuaſtationes feretis accepta? An poteſt negari magnũ nos habere Sigillum Scotiæ, frequenti veſtro Senatu, et plẽno Parliamẽto conceſſum, et ad nos miſſum, teſtem ueſtri pacti et promiſſarũ nuptiarum ſub cautionibus & obſidibus dandis, uſq; ad tempus illud, in quo perfici atq; cõſummari, ſolẽni & ſacroſancto more ac ritu poſſent. Atq; id eo tempore quo nobiliſsimæ memoriæ Princeps et nuperrimus Rex noſter uixit Henricus Octauus, & quo Regnũ veſtrũ gubernauit. idẽ interrex, Gubernatorq; veſter, qui nunc eſt comes Arranniæ, qui tum pro communi ac publico totius Regni Scotiæ commodo, toto huic negotio non ſolum interfuit tranſigendo, uerumetiam præfuit, ſummã ſedulamq; ſuam pro uiribus in ea re collocans operam. Idem ſimul atq; per Cardinalem Sancti Andreæ, et cæteros quos Eccleſiaſticos uiros vocatis, inanibus quibuſdam terriculamentis, et uana ſpe honoris oſtenſa, ſeductus, ac circumuentus eſt: contra promiſſum, contra honorem

ac fidē ſuā, reſiluit à prioribus pactis et conuētis, et omnium malorum quę ex illo tempore Scotiam occuparint, author cauſaq; fuit, dum in ſua tantū commoda reſpicit, et Regnū negligit. Is vobis tot arces et caſtella, quę nos nūc occupamus, ademit. Is author fuit cōmiſſi pręlij, in quo tot millia ueſtræ gentis ceciderunt, tamq; clara nobis uictoria parta eſt, tantaq; cædes Scotorū eſt facta, ad quam nos quidem certè dolenter, et non niſi coacti ueniſſemus. Et quem finem expectatis talis perfidię ac pertinaciæ, niſi eum ſucceſſum, quem hactenus eſtis experti? Nos amorem offerimus, æqualitatē & amicitiam. Vincimus bello, et offerimus pacem. Arces & caſtra veſtra tenemus, et offerimus non haberi victores: Regionem ueſtram occupamus, et uobis offerimus Angliā. Quid poteſt offerri à nobis aut præberi amplius, quàm cōmercium gentis, connubium totius populi, antiquationem oīm noſtrarū legum, quę hęc duo prohibebant antiquitus, aut quę mutuo noſtro amori poſſent eſſe impedimēto? Obtulimus vobis, nō ſolū nomē, authoritatem, titulum, ius atq; gloriā recuſare uictoriæ, uerumetiam id accipere, quod eſt eorū dedecus et ignominia, qui ſunt uicti, ut relinque

remus

remus nomẽ nationis noſtræ: vt pateremur gloriam omnium triumphorum, et uictoriarum à nobis partarũ induci ac deleri, et in perpetuam obliuionem mitti: & illud antiquum et cõmune nomẽ Britannorum recipere. Nihil ut eſſet non ex noſtra parte vobis oblatum & oſtenſum, nihil non à uobis rurſus repudiatum ac ſpretum: nulla vt uobis excuſatio ſupereſſet reliqua: & uniuerſo terrarum orbi clarum ac teſtificatum eſſet, poſtquam honeſtas omnes, atq; adeò vix etiam honeſtas nobis conditiones pacis obtuliſſemus: quum nulla ratione uos ad æquitatem et rationem perducere potuimus: bellum à nobis eſſe ſuſceptum, tanq; extremũ perfugium iuris obtinendi inter Chriſtianos. Si quiſquam iure pro ſponſa ſua bellũ mouere poſſit, Scoti Regis hęres unica et filia, Regis Angli filio & hæredi unico pacta eſt. Si diuino iure licitum fasq; ſit bona et honeſta de cauſa bellum ſuſcipere, et maximè pacis conſtituendę: bellũ hoc ſuſcipitur à nobis et geritur, ut finem faciamus omnium bellorũ, inimicitiarum & pugnarũm: et ut firmetur ęterna & perpetua inter vtranq; gentem pax et concordia, quam vt ſtabiliremus æterno fœdere, nos bellum gerimus: vos ut rumperetis.

An non

An non facilè diiudicari queat, vtra gens honestiorẽ ac iustiorem habeat causam belligerandi? Deus et gladius id iam ante iudicarunt, decernentq; deinceps, si in eam necessitatem a vobis adigamur. Qui uelit has tam faustas, tamq; salubres nuptias progredi ac perfici: qui pacem tranquillitatemq; cupit vtriusq; Regni: qui victoriam nos non vult sequi, sed amicitiam et amorem mutuum, neminem hominũ recusamus vestrum, det nomen quisquis velit, & obsides suæ fidei in istam causam, recipietur in amicitiã, et in tutelam ac propugnationẽ nostram, aduersus cunctos hostes, atq; aduersarios tam pię causæ. Neminem nos exuimus suis agris: neminem exigimus honoribus, officijsúe aut magistratib⁹ suis, nisi si prorsus pertinaciter velit nobis reluctari, et vi nos ad illam necessitatem adigere. Quæ facies hęc uictoriæ, aut debellationis, ubi cuncta iure gladij in uictoris cadũt potestatem? Non nos pellimus vestrã Reginã Scotię Regno, sed illam & suã prolem uolumus etiam Anglię regno præficere. Quem honorem augustiorem potestis vestræ Reginæ quærere, q̃ tales nuptias offerri? Quas uerò nuptias aptiores, quàm has cum Rege nostro? Quod firmius præsidiũ

iam

iam in minore ætate ueſtræ Reginæ, Regno Scotiæ poteſtis inuenire, quàm Angliã habere ueſtrã amicam & propugnatricem? Non nos ueſtras antiquare aut abolere leges quęrimus, nec obliterare cõſuetudines, ſed iniurias et rapinas nonnullorum reprimere ſtudemus. Vnum quidem Regnum eſt Anglia, et tamen uarias habet in ſe leges, ritus & conſuetudines, pro locorum ac gentium diuerſitate. Et in Gallia, ritibus alijs ac legibus utitur Normandia, q̃ꝫ Vaſcones, aut Prouĩciales. Quid uniuerſa Regna et Regiones quibus pręeſt Nobiliſs. Imperator Carolus Cæſar, vnis eiſdemq̃ legibus vtuntur ac inſtitutis, et non potius inter ſe diuerſiſſimis? Inanes iſti ac uani metus ac formidines, eijciendę veſtræ nationis, immutandi leges veſtras, condonandi pro arbitrio veſtros agros quibus uelimus, et Regnũ iure uictoriæ tenendi, proponuntur vobis ante oculos, et inculcantur tam frequẽter ab his, qui vos uictos, proſtratos, exactos, cæſos, et ſpoliatos malunt, quam ut quicq̃ dematur ſuę libidini dominandi, ſuæ ambitioni, ſuæ exiſtimationi. Qui tum ubi pax erit, trãquilitaſq̃ facta, metuũt, ne deprehẽdãtur. Et ut facies et imago appareat in aqua clara et quieta, ſic ingenium et facta

ſua metuunt, ne in quietis rebus, intuentibus reluceant qualia cuiuſq; modi ſint. Nunc in hoc turbulento rerum ſtatu, dum vndis & fluctibus bellicis omnia tumultuantur, dum fames, incendia, & cæteræ calamitates, quas bellum infert, vos occupat, non fore uobis otium exiſtimant eos intuendi, & his tenebris ſe occultari credunt tanq; ſepias.

Sed reſpicite in eos, vos qui prudentia cęteros antecellitis, et intuiminor eorum facta & conſulta: conſiderate quo in ſtatu res ueſtræ ſunt: quod ad Reginæ ueſtræ nuptias attinet, non illam cælibem et innuptam ſemper ſeruabitis, quod eſſet vobis non ſolum factu, uerumetiam cogitatu turpiſſimum. Si nobili cuiq; ueſtræ gentis eam collocetis, id non extinguet noſtrum ius quod in Scotiã vendicamus: et quantum turbarum et inuidiæ illud inter vos excitabit, facile eſt diuinare. At extero fortè Principi deſpondebitis, Ius noſtrum manet: vos extero domino, alienæ nationi, peregrinæ linguę ſeruietis. Et nos habebitis ueſtros hoſtes, ueſtris capitibus imminentes. Auxilia ueſtra et præſidia iam procul & è longinquo petenda. Quid uero an non et hodie ſumus in viſceribus ueſtri regni? An nõ

magna

magna vestri populi pars nobis iam pridē nomīa dederunt, et in uerba nostra contra vos iurarūt: Quis autē in Regnū vestrum penetrabit hospes Rex, cui non acie occurretur, etiam à vestræ nationis militibus, uestraq; gente, quæ nobis amica beneuolaq; est, & qui hanc, non minùs quàm nos ipsi, causam amplectuntur?

Quòd si ille hospes peregrinusq; Rex, quicūq; sit futurús ue est, cui malitis q̄m nobis vestram Principem credere, quiq; vos vt pergatis nobis hostes esse, sollicitabit et hortabitur, etiam exercitum, aut auxiliares copias vobis mittet: quantum ille vos premet externus miles (nisi cæcos vos facit fracta fides, et odium nostri) iam ipsi cernitis. Replebit domos vestras, uastabit agros, conculcabit segetes, triticum, hordeum, auenas & pecora vestra, unde nunc alimini, deuorabit: et ubi ligna desunt, etiam casas et ædiculas vestras exuret. oppressos vos tanq̄m sub iugo mittet & pro seruis habebit, quasi qui sine illis nequeatis viuere. Reginam et Principē vestrā à vobis abripiēt, collocabūtq; ibi, ubi ipsi volūt. Et si fortè interea sint alienis bellis occupati (quod facile potest euenire) regionē et Regnū vestrum nobis pro præda relinquēt, vt solidam

inde reportemus et ueram uictoriã. Et tũ quidẽ dicetis, sed serò: nos nuptias quærimus, nolumus uictoriam: pacem optamus et amicitiam, pœnitet nos belli susceptι. Cõtumax victus quid nisi durum uictoris sentiet supercilιũ, et obdurata pertinacia faciet, uictoriam insolentiorem?

Quod si non milites, sed qui aciem uestram regant, et belli duces mittet: iam cum illi duces sint, vos milites, utra gens imperat? utra seruit? & si uestræ res succedant bene, cui dabitur honos uictoriæ? quis fœlicis euentus gloriam reportabit? Sed siue hoc bellum quod ita geritur, qualẽ successum vos optabitis, habebit, siue aduersum vobis et qualẽ nos speramus finem consequetur: dicitote ò Scoti, dum miles uester sit, duces belli exteri homines & peregrini, quæ gens trucidabitur? cuius sanguis effundetur? cœsorũ et vulneratorũ numerus ex qua Regione et quo populo colligetur? Illi sortassis nummos aliquot & pecuniã suam impendent, & propterea imperium in uos exercebunt. Sed quorum quæso corpora vulnera sentient? quorum agri depopulabuntur? quorum erunt ædes qui exurentur? quod Regnum uastum ac desolatum relinquetur?

Et con-

Et considerate apud vos quantũ incõmodi sit externũ militẽ domi alere, foris hostem ualidum vestris ceruicib⁹ īminentẽ habere: dũ vos in medio tanq̃ arena & campus iaceatis, super quem digladiẽtur exercitus duo, tã à victo quàm à victore cõculcãdi. Fingite vos nũc uidere (id quod tũ haud dubiè sentietis) quãto in periculo uersabitur vxorum & filiarũ uestrarũ pudicitia, dum procax miles et libidinosus, tanq̃ dominus inter vos uagabitur. Subijcitote vestræ mentis oculis superbiam et insolẽtiam illius conductitij exercitus, elatos vultus, et arrogantiam eorum quos in auxilium uestrũ uocastis, et contemptum, in quem Scotorum gentem isto facto, conijcietis.

Et tum cauete ne illud reuera fiat, quod tantopere exhorruistis, nimirum, ne ab illis subiugemini: ne vos illi agris, sedibus, muneribus et dignitatibus uestris exuant: Ne leges uestrę ab illis antiquentur: Ne nationem uestram ipsi deleant. An non etiam hoc in Regno Britanni in auxilium Saxones uocabant, et mox ab illis qui in auxilium uenerunt, suis sedibus et tota propè Insula sunt eiecti? vix ut Walliam haberent, in qua possent inter montes & paludes latitare. Vbi nunc Picti, qui olim populus numerosus, &

bellicosa natio, nos à vobis dirimebant? Nonne Scoti auxiliares, sic illos exhauserunt, ut ne nomen quidem hodie remaneat? Franci, qua ratiõe Gallos ex tota Gallia pepulerunt? Turca quomodo Græciam, et nostra ætate totam Hungariam occupauit? Nonne in præsidium uocatus? Et non illa eadem ratione, Gotthi olim totam Italiam tenuerunt? Longobardi eam Italiæ regionem, quæ nunc ab illis nomen est sortita?

Quid quæritis? miles egens et armatus, cum intelligit vestram salutem eius in manu sitam, et vos non posse sine illo uiuere, quid nõ uobis imperabit? quid nõ à uobis abripiet, quasi suo iure? quid non sibi licere putabit? et quid vos audere facere existimabit?

Hoc externum auxilium uestrum, est detrimentum: hoc præsidiũ, summa est calamitas: victoria sic parta, vestra est seruitus: Quid tum reputabitis fore, si cum illis una superemini? Intus vos auxiliares copiæ populabuntur, foris nos insistemus irati: & ex uestra natione quotquot pietatem, fidem & honorem, atq; utilitatem illius Regni amant, etiam uos persequẽtur, auxilioq; nobis erunt, vt acriùs vos flagellemus. An non multò satius est ista prius composuisse, et hanc

et hanc totã miſeriam et calamitatem finire nuptijs? ſopire tam pernicioſum bellum, tam honeſta et honorifica pace?

Carolus Cæſar Hiſpaniam quomodo, Burgundiãq; tenet? an non nuptiarum titulo? Rex Gallus minorẽ Britanniã, modò Franciæ coronæ adnexã, qua ratione poſſidet, an nõ Matrimonij nomine? Qua ratione alia magni Prĩcipes & latè regnantes Monarchæ, fęliciter & quietè ex diuerſis Regnis, diſſitis gentibus, diſiunctis animo nationibus, et qui ſemper inter ſe, uel certum bellum, uel incertam pacem habuerunt, vnum fecerũt imperium & regnum bene gubernatũ, niſi hoc diuino et dulci fœdere nuptiarum? Duę ſunt rationes et vię coniungendi, congluti-nãdiq; diuerſas natiões, in perfecta ſtabiliq; pace atq; quiete: Altera per vim et victoriã, quæ ſubiugatio dicitur: altera per amorem, æqualitatẽq;, quę ex affinitate ac nuptijs naſcitur. Odiſtis victoriam ac ſubiugationem, & dum alterã rationem nuptiarum reſpuitis, eam attrahitis in vos, tanq; Cæcias nubes, aut tanq; Sampſon columnam ſuſtentatricem ædium rumpentes, id in vos cadere facitis, quod peſſũdatos opprimet. Pacem reſpuitis, non vultis nuptias: recuſatis vnionem

nionem et concordiã, et uictoria nostra vestraq́, seruitus, in inuitos irruit.

Et tamen si quis totam hanc rem pressiùs ac diligentiùs intueatur, metuendum est, ne uidere possit esse satius vobis à nobis vinci, quàm ab illis iuuari auxilio, minus detrimẽti uestris bonis, minus incommodi uestris agris, non tanto dedecori uestræ nationi, si hæc nostra gens quæ lingua patria, moribus, propè vna est et eadem, ubi tam exigua diuersitas, tanq́ inter fratres apparet, vniuersũ occupet, quàm vt vos ĩmittatis vobis gentẽ exteram, alienigenã, peregrinam, quæ neq́ lingua, neq́ facie, neq́ moribus uobis similis est, & quæ dominetur in vos, et vos nisi pro seruis, et fugitiuis suis habebit. At nos iterũ atq́ iterũ, et sepius uobis denunciamus, & protestamur, ubi fauere parcereq́ queamus, non secuturos vim, si per æquissimas cõditiones, oblatum amorem, et amicitiã acceperitis, non quęrere nos uictoriam. Pacem cupimus, amorem, vnionem, charitatem, æqualitatem. Videte ne uester interrex atq́ gubernator, et qui se Ecclesiasticos uocant, qui toties suam ruperunt fidẽ, et qui perfidia, uaniq́ promissis, tempus proferre didicerunt, ampliùs uos ludificent, et suis

blandis

blandis et simulatis uerbis in insidias trahant, à quibus vos nequeant liberare. Ipsi forsan sibi pensiones et salaria, mercedem suæ proditionis, ab extero Principe parabũt, et arces uestras externo militi tradent, quos ideo in illis collocabunt, ut vos inuitos in officio & seruitute custodiant, sub eo pretextu et simulatione, quasi qui illas à nobis defendant. Sed dicitote quæso, dicantq; ipsi: Quis uobis miseris pensiones & salaria parat? Quis uos defendet, cum ipsi ad illos exteros principes quibus uos iam antè prodiderint, defugient? Quis uos sub iugũ mittet, cũ externus miles, arces et prę sidia uestra tenet? Cum Regio depopulata deuastataq; fuerit, et Regnum desolatum, magnaq; ex parte in nostrã aut aliorum exterorum ditionem concesserit, quis tanti æstimabit Reginæ ac Principis uestræ nuptias, ut titulum Regni deperditi bello Anglico, coëmat? ut nomen Reginæ ducat domũ, alio iam forti et inuicto Principe, regnũ armis obtinente? Si nos duo in unum coniũcti firmissimo possimus esse nobis inuicem præsidio aduersus omnes exteras nationes, et Oceanum pro muro ac mœnibus, mutuum amorem et amicitiam pro subsidio, Deum propugnatorem

 habẽtes,

habentes, unam tam nobilem tamq; firmam et bellè cohærentem Monarchiam faceremus, ut neque quietis in rebus ac pace ſplendoris noſtri pudere, nec in bello ſi quod exarſerit magnitudinis, pœnitere poſſit. Cur nõ et vos tam cupidi huius coalitionis noſtrę debetis eſſe q̃ nos ſum⁹, et tantã tamq; magnam vobis ac ueſtro nomini gaudendi cauſã habetis, quam nobis gratulãdi? Si honos tam potentis Regni, ac florentiſſimæ Monarchiæ uos non mouet, ut pacem ac fœdus oblatum accipere uelitis, at deterreant vos ſaltẽ pericula prędicta, calamitatesq; iamiam vobis īminentes, ne illud attẽtetis, quod Deũ pacis authorem offendet, bellum et perniitiem ueſtræ gentis alet, et accumulabit, Regionem ueſtram exhauriet, agros populabitur, liberos trucidabit, ciuitates uaſtabit, arces demolietur, Scotiam ferro, flamma, fame, & per mille miſeriarum modos deſolatam, orbam, et deſertam faciet: aut vos in iugum, & ſeruitutem, extero & peregrino alicui Principi dabit.

Nos nihil requirimus aliud, quam promiſſam per fœdus ueſtram Reginam, vnionem utriuſq; Nationis, coniunctionem duarum Gentium, quam Deus Opt, Max. pro infinita ſua clementia,

tia, paterno erga nos ambos amore, nobis obtulit, et ut sic dicamus quasi uoce clara, nos ambos ad illam uocauit. Cuius diuinam uocem, ut hactenus fecimus, ita deinceps decreuimus totis uiribus sequi, et admonitionibus, hortatibus, rogationibus ac legationib⁹ frustra tētatis, posteaquã nequicquam toties conati simus his õnibus modis ac vijs, quibus quidem libenter & pie sumus vsi, ueritatem in uerbis, stabilitatem in promissis vestris inuenire. Non uolentes, sed inuiti ac extrema necessitate coacti, illo ipso duce & auspice, cuius uos uocem uerbũq; contemnitis, bellũ persequemur, & iratis Dei angelis, ferro & flamma, rebelles & obstinatos castigabimus. Quocirca uos omnes quos amor uestræ Patriæ tangit, quos Regionis uestræ miseret, quos iusiurandi datum Reginę, ac Principi uestrę, et Serenitatis eius reuerentia mouet: qui fidem datam & Scotiæ totius Sigillo firmatũ promissũ, alicuius esse momenti ducitis: qui paci, quieti, ac trãquillitati totius Insulæ fauetis, adeste, accedite ad nos, et palàm declarate vos veros et ingenuos esse fautores concordiæ communis, adiutores fœlicis & promissi connubij, testes este nostrorę factorum. Neminem reijcimus, neminem re-

cusamus, qui uelit particeps esse fœderis huius, laicus sit, an clericus, nobilis an plebeius, excelso ac humili loco natus, qui modo non sit huius tam præclari fœderis hostis, sed causas uelit imminui cædis et bellorum, illi nos omnia per nos hic promissa & ostensa seruabimus: uberiorem relaturi etiam gratiam pro ratione beneuolẽtiæ suæ et impensę in tam piam causam operę. Et vt specimen aliquod ædatur nostræ in vos beneuolentię, quã rem ante hũc diem nũq̃ in vllis fœderibus, inducijs, aut in quantumcumq; firma & amica pace, Scotiæ fuit à nobis concessum, eius rei Regia maiestas, quô gustum aliquem prębere t vtilitatis ac fructus quẽ ex amicitia beneuolentiaq; sua possitis percipere, hodie sponte sua, vobis gratiam fecit. Motus enim multitudine vestratum, tam eorum, qui ad suas partes iampridem uenerunt, q̃ eorum qui suæ Serenitati fauerint ac bene uolunt, clemẽtiss. Rex noster cõsilio & suasu nostris concessit, & per præsentes concedit, tam mercatoribus, quàm alijs quibuscumq; Scotis, qui coram Prębfecto prębsidiorum Borealium, aut coram aliquo eorum, quos Custodes seu Guardianos finium nos uocamus, aut aliquo quocumque qui potestatem accipiendi

nomina

nomina habet, nomen ſuum dederit, et ibi profiteatur ſe deinceps fore fautorem predicti Matrimonij ac fœderis ſeruandi, et uelle iuuare hũc noſtrũ tam ſalutarem conatum, vniẽdi vtrumq; Regnum, vt tam ſuæ utilitatis cauſâ, quàm commeatum & alias res ac merces neceſſarias deuehendi ad eos qui ſunt eiuſdem factionis, liberum cõmeatum & authoritatẽ pleniſſimam, intrandi portus omnes ac littora noſtratia, et tam per terram quàm mare, emendi, vendendi & commertium exercẽdi cum noſtratibus: liceatq; illis omnibus tam merces Scoticas ad nos inuehere, quã exportare noſtras, tam liberè, tamq; exiguo uectigali, atq; ad eundem modum, quo nos Angli et ſuæ Maieſtatis ſubditi, hodie facimus. Cogitat verò etiam clariſſimus Princeps, & defixũ habet in animo, ſi hæc ſua largitas & beneuolentia ſuccedat bene, uberiorem exercere beneficentiam in eos, qui authores erunt tam feſtiuę ac ſalubris pacis, ut omnibus ſit mortalibus teſtatum atq; cognitum, quanto vos ac veſtram nationem Serenitas eius amore proſequitur, quãq; prono ac libẽti animo, vos demereri, q̃ affligere malit. Quodq; fœlix ac fauſtũ ſit nobis pariter ac vobis, noſtræ ſimul ac veſtræ Reipublicæ, Regia

Maiestas nostro suasu ac rogatu, totũ hoc quod perscripsimus vobis denũciari ac patefieri iussit: mandauitq; tam nobis quàm vniuersis suis Prę-fectis militum, Magistris equitum, Pręfectis pręsidiorum, Custodibus finium, cęterisq; Prę-fectis ac Magistratibus & priuatis suis subditis vniuersis, vt hæc ita quomodo rectissimè con-cepta, conscripta, intellectaq; sint, fiant, geran-tur, administrentur, & facienda, gerenda, ad-ministranda curentur, quàm possint à nobis offi-ciosissimè. Bene valete.

Londini, quinto Februarij,
Anno Domini, 1548.

Excusum Londini, tertio Nonas Martias per Reginaldum Wolfium, Regiæ Maiestatis in Latinis typographum.

ANNO DOMINI
1548.

Ἡ ἀγάπη οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς

Charitas non quærit quę ſua ſunt.

Patiens eſt, non inuidet, omnia ſuffert.

μακροθυμεῖ, οὐ ζηλοῖ, πάντα στέγ.